

Quaestio medica ... An praecipua, in pulmonibus, nutrientis succi praeparatio? / [Louis Pierre Félix René Le Thieullier].

Contributors

Le Thieullier, Louis Pierre Félix René, 1730-1796?
Cosnier, Louis Jean Baptiste.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aggc3xg9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

89
18.
DEO OPTIMO MAX:

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-sexta
mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. L.*

M. LUDOVICO-JOANNE-BAPTISTA COSNIER,
Doctore Medico, Præsides.

An præcipua, in Pulmonibus, nutrientis succi preparatio?

L.



ADUCA, fragilibusque mortalium soboles, quæ tanto sui dispendio propriis sibi functionibus sufficit. Quo vivimus motu, eodem continuo morimur. Ad vitam enim moveri essentialis; hinc jugis illa partium deperditio, necessarium interitus & ruinæ rudimentum. Diu tractata gracilescit solidissima metalli moles; quieta etiam edaci minuitur rubigine; ne mirearis ergo quod ex tenerrimis machinulis conflatus homo tam cito fatiscat. Ut igitur utriusque generis partium, quibus corpus constat, perennis explicetur avolutio, exterior & immensa ne quaeratur potentia. Circuli enim vitalis actione, fluidorum nisu, vasorum resistentiâ, variâque directione, necessario fit, ut, supra vim cohesionis prævalente impetus toties repetiti momento, facilius dividantur fluidorum particulae, sensimque, mox in obvios secretiorum meatus interius excipiantur, mox patentibus ad exteriora spiraculis occurrant. Quantas autem in sese fluida, tantas & in solida vires exere videntur. Irruentibus undequaque illorum effluviis cedit & ipsorummet ossium durities; minimis orbantur superficie suæ frustulis; cum fluida salinis præsertim insistent armata cuspidibus. Physicis itaque legibus congrua hæc consumptio. Nonne etenim insensibilem quasi atomorum irruentium agmen, ad abrādendum tenerrimas ossium particulas tantum valet, quantum aqua, quæ poros funis ab appenso pondere constrictos subit, vel ipsiusmet in Alembico vapores expansi cervinum cornu penetrantes, oleis licet & salibus turgens. Ephemera itaque, veluti foret, totius Microcosmi vita, nisi, nutritionis operâ, perennes destructionis causæ jugiter compensarentur. Quotiescumque autem, fluidis continuo attritu imminutis & exhaustis nova similium restituetur copia, vel solidis etiam simplicissimis pares applicabuntur particulae, tum ambo reparari & nutriri merito dicentur. Plurima porro uti sunt deperditionis, innumera sic restitutionis instrumenta. Hujus materies amplissima, chylus,

A

sed remota. Os, prima est illius officina; rursus in cesophago & ventriculo elaboratur. Intestinorum ope, utilioribus permiscetur succis, à deterioribus expurgatur sordibus. Atteritur dein in lacteis ordinis diversi vasis; lymphâque hîc præsertim jugiter stillante, diluitur. Sanguini tandem infunditur subalbus ille latex, sed rudis adhucdum, minusque ad nutritionis officium aptus; quippe qui *inchoativos* tantum fuit hûc usque labores perpeffus, motibusque ac pressio-nibus à subclaviâ ad cor, à corde per Pulmones, variis committendus est in-cerniculis. Huic autem visceri præcipua meritò tribuetur nutrientis succi præ-paratio, quod chylum subtilissimum, gelatinosum, humoribusque nostris ana-logum efficiet.

I I.

Marcell. Mal-
pigh. de ovo
incub.

SOLIDESCIT in humano corpore humor nullus, quin prius per exilissimos vasorum mæandros repetitâ periodo pluries fuerit transcolatus. Sic *in fatu* *successivè attenuatur humor albuminis, donec aptus evadat fluere per omnia, mini-maque Embryonis vascula.* Vasa etenim iis tantum nutriuntur, quibus pene-trantur humoribus. Angustiores autem canaliculi, præ cæteris, refectione indigent, uberiori jacturâ perenniter exhausti. Exiles quippe impetui minus resistunt; habito etiam, latioris superficie ad minimam cavitatem respectu, major fit & frequentior arietantis fluidi concursus. Tenui tandem fluido faci-lius cedent membranulæ vasculi, abradentur, vel saltem in ipsis desiderabitur deperditorum restitutio. At quæ fecit damna prior fluidi rivulus, alter cum fæ-nore refarciet, modò subtilis. Talis enim exiguis alveolis erit accommodatior. Multiplici deindè contactu, alluet nutrietque plura vasculi puncta; & quos permeabit poros, eos haud ægrè replebit. Triplici autem huicce muneri impar chylus, nisi attenuatus valdè, dilutus, fluxilitateque majori, quam pu-tari solet, commendatus. *Levis enim humor*, ut ait Hippocrates, *homini nu-trimentum est.* Hinc forsitan authorum, nec infimioris notæ, sententia, quæ spiritibus animalibus nutriendi corporis facultatem concedit. Sanctorinus imò de nutritione animali N°. XXXVI. *Sucum nerveum, inquit, per nerveos ductus ad singulas partes stillatim per cerebri pressionem delatum singularum partium nutrimentum esse, mihi firmiter videor posse statuere.* Hæc autem genuinæ spirituum anima-lium indoli dissona videtur hypothesis: Hi enim *solidissimi, tenuissimi, mobi-lissimi, simplicissimi*que nec ad ignem concrefcere, sed penitus in auras abire depre-henduntur. Corpus enim simplicissimum non plus nutrire valet quam inconcrefcibile. Gelatinosa sit igitur nutritiva materies oportet, humoribusque & parti-bus corporis analoga. Fibra quævis in gelatinam resolvitur, gelatinosis igitur tantum reparabitur. Eodem etiam Embryo vescitur latice: lymphâ scilicet tenui, subtilissimâ. Ex similibus ergò succis desumatur adulti nutritio.

Boerth. instit.
a°. 274. 275.

I I I.

Malpigh. de
pulmon. Epistol.
2.

IN pulmonibus porrò chylus efficitur subtilissimus, gelatinosus humoribusque nostris analogus. Ad id enim à naturâ comparatus videtur, qui totam eorum substantiam constituit, vasorum partim, partim vesicularum contextus. Has nu-mero infinitas jure habueris. *Orbiculares sunt & subtilissimi membrana tenuissima processus*, communi inter se aditu, & cum ipsarum principio, bronchiali scili-cet fistulâ, communicantes; quos tandem continentis membranæ juris fieri, Malpighiana comprobât assertio. Interior insuper cellulosi cujuscumque follicu-li superficies, mirabili pneumonicæ, tum arteriæ, tum venæ, rete investitur, cujus ope tanquam vinculo firman-tur intrâ se ac colligantur ejusmodi sinus. Nec singulo folliculo deficit talis vasculorum plexus. Racematim in unoquoque re-soluta lobulo, ibique exsculpta pulmonum arteria, ordinis cujuscumque ipsi impertit vasa, anastomosibusque sub fine repetitis, cum venæ radicibus,

juxtà plurimos, init connubium. Quæ simili ordine, fabricâ, à ramis per truncos majores numero quatuor, sanguinem in sinum cordis sinistrum pleno amne exonerat. Hos inter compagis minutissimæ lobulos, nudæ, nec pauciores observantur cavitates, interstitia sunt, vel potiùs membranaceæ ac diaphanæ pulmonum vesiculæ, à parallelis, vel angularibus extremæ lobulorum superficiei membranæ propaginibus efformatæ; totque ipsius tum interioris, tum exterioris appendices. Talem habent interstitia hæc extensionem, qualis à lobulis in situ naturali positis relinquitur; ita ut in majoris structuræ animalibus, *mediam transversæ digiti latitudinem adæquare videantur*. Plicatilium autem hujusmodi sacculorum, vesicularumque undequaque aggeries, vasculorum tandem ubique ramificationes, pulmonem constituunt, cujus tres lobi sinistram, duo tantum dextram Thoracis cavitatem, pro parte, adimplent. Quantus igitur fiat in chylo, celeriter per pulmonem trajecto effectus, quanta accidere debeat mutatio, is facile perspiciet, qui maturiùs fistulosam ejus fabricam, multiplex quibus alluitur, aereorum, sanguiferorum, lymphaticorum, nerveorumve ductuum genus animadverterit, iteratas itém eorum interse complicatorum divaricationes cognoverit, fibrosæ necnon quorundam tunicæ energiam, aerisque ex omni parte pressi, vel prementis impetum, physicè perpenderit.

Idem loco mox citato.

I V.

MIRANDUM dixeris solemne illud naturæ institutum, quo in eâ parte quam peculiari dicare sibi placuit operi, apposita deprehenditur machinarum dispositio, adaptata virium applicatio. Neque enim ideò pulmo conterminus est cordi, quod quasi complectitur, nisi ut per exilissimos membranularum tubulos impetu adactus maximo sanguis, in minutissimas partes atteratur ac dividatur. Quin imò alterno fluidi gravis & elastici, in vesiculas aereas introitu & egressu, potentioribus subigi debet, tanquam pistillo, resistentiis. Explicatis enim & expansis, in aeris inspiratione, vesiculis, innumerabiles, qui mox depressi, exporriguntur sanguiferorum rami, faciliior fit cruoris intropulsi, ad venam usque, transitus. In expiratione verò cum concidant elasticæ earum membranæ, tenues comprimuntur venarum radices, urgetur ab iis ad ramos sanguis, sed ægrè trajiciendus. Nunc enim per collapsum obice factò, auctâque vasorum superficie respectu fluidi, frangitur & atteritur, capillarium tenuitati, sui divisione, accommodatur. Ex toties igitur repetitis, tum conquassatione, tum concussione, quanta fluiditas ipsi, quanta comminutio accidere debent? Qualis autem sit aeris in sanguinem pulmonalem energia, patet ex dictis. Vegetior etiam sub sicco & sereno tempore, languens & impedita sub humido, *vacua*, ut ità dicam, ac *rara* sub calidiori, de his certiore te faciet respiratio. Nec ad atterendos tantum sanguinis globulos, destinatum potentiarum harumce consortium. Intimiori ipsorum miscelæ, inutilium excretioni, beneficè providet. Revolutæ etenim in majoribus vasis illius particulæ, in ultimis horum ramificationibus divisæ, uniuntur dein intrâ se, *homogeneitatemque* quasi adipisci debent. Sanguineas enim partes ad facilem unionem proclives esse constat. Pars rubra lapideæ licet aliquandò soliditatis æmula, fluxileque serum facillimè concreescens, fusa simul, & permixta, jam soluta magis fiunt & fluxiliora: & in eo præsertim viscere, plures ubi reperiuntur vasorum myriades, uberiorque lymphæ concursus. Lympha etenim ipsa, jam in propriis organis præparata ulteriorem ibi patitur elaborationem, fitque nutriendo aptissima. Jam enim comminuta faciliùs atteruntur, utpote quæ majorem, ratione molis offerunt superficiem. Et quidem huic sententiæ favet insufficiens sanguinis in corde dextro subactio, bronchialisque arteriæ ortus. Hæc à Ruischio, olim detecta, originem ducit à posticâ, arteriæ magnæ descendens, parte modò suprâ, mo-

dó infrà intercostales ab eâdem aortâ pariter oriundas; suprâ bronchia serpit; quorum ultimas divisiones fideliter concomitatur, oculi captum fugiens. Hæc sanguinem pulmonis nutritioni peculiariter dicatum, in ipsammet ejus substantiam & tunicas effundit, easdemque in hoc viscere, ac in jecore hepatica, vices adimplet. Similis & in corde observatur dispositio, quod quidem nutritur sanguine coronariarum in pulmonibus jam præparato.

V.

Hales Stat.
Veget. pag. 281.

ET verò non ineptè ab Halesio folia vegetabilium pulmonibus nostris fuerunt comparata. Quid enim hæc præstent ad præparandos plantarum succos, ab omnibus notum est: folia siquidem majorem succi nutrientis copiam excipiunt, quam deindè subtilem licet, subtiliorem adhuc effingunt. Tenuissimo namque vasorum tum deferentium, tum secernentium intrâ se reptatu, latioris superficiei extensione, ductilem hanc perficiunt materiem, quæ plantis nutrimentum, fructibus conciliat maturitatem. Similis & in pulmone deprehenditur effectus, sed quantò potentior: illum etenim frequentiori longè, validiorique systolis ac diastolis motu gaudere, certum est, cum vegetantium frondes successivo tantum diei, noctisque, frigore vel æstu, alternam illius vix æmulari queant actionem. At inquires, non respirat in utero fœtus, crescit ille tamen, & nutritur. Fateor equidem, verum ipsi inutilem esse fatearis respirationem; cum præparatus tum ex utero, tum in amnio scaturiat liquor, vel per patulas venularum placentæ radices absorbendus, & funis umbilicalis ope deferendus ad Embryonem, vel in os & ventriculum, proprio pondere, immittendus. Imò vasculosa totius placentæ fabrica, nonne videtur ideò disposita ut fœtui vicarius quasi pulmo, ac temporaneus habeatur? Sic in junioribus plantarum surculis secundum longitudinem collocantur follicula, quæ successivè explicata ramorum nutritioni & extensioni faveant. Num verò celerius per pulmones sanguis excurrit quam per universum corpus? Num proindè major est in istis, quam alibi, succi nutrientis præparatio? Angustissimæ sunt in istis vasorum diametri, plura renixus momenta, difficilior idem, ac crebrior quam per alia vasa transitus, elaboratio igitur maxima. Dicent alii: plurimis desunt pulmones animalibus. Verum ipsis vesiculas sanguineis vasis circum instructas, natura concessit, pluribus videlicet diversi generis insectis. In limace etiam utriusque sexus particeps, peculiarem respirationem observatam à se fuisse, asserit Swamerdamius. Aerem etenim, per foramen aliquod in superiori corporis parte efformatum, admitti, pronunciat, & expelli; mirabilique corporis relaxatione, & constrictione, singularem illum respirationis modum moliri annotavit. Ex dictis autem, pulmones ad nutrimenti elaborationem imprimis conferre, quis negaverit? Cum illos mirabili artificio constructos, plerisque animalibus natura concesserit, vel eosdem infœtu quasi otiantes, in insectis quibusdam & vegetantibus deficientes, scrupulosius compensavisse videatur.

Ergò præcipua, in Pulmonibus, nutrientis succi præparatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus Messence.

M. Bernardus-Nicolaus Bertrand.

M. Gaspardus Cochon Dupuy, Regis Consiliarius & in Arce Maritimâ Rupifortensi Anatomæ & Chirurgiæ Professor Regius.

M. Carolus-Franciscus Theroulde de Toulouse de Val-lun, Eques.

M. Stephanus - Ludovicus Geoffroy.

M. Jacobus-Albertus Hazon.

M. Anna - Carolus Lorry.

M. Dionysius Pautier de La-Breuille.

M. Claudius - Carolus de Jean, Scholarum Professor.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS - PETRUS - FELIX - RENATUS
LE THIEULLIER Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.